



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

3. Paupertatem vt virtutum, ita & diuitiarum esse caussam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

dicite me, d' pauperes. Quid non habetis, si Deum habetis? Audite me, diuites, Quid habetis, si Deum non habetis? Qui alibi addit. Ergo videamus, qui aurum non habet, quid habet. Virtutem habet, fidem habet. Omnes virtutes habet. Habet ergo regnum Dei intra se.

Quamobrem est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit. Quemadmodum Cræsus aliquis, est quasi diues, cum nihil habent. Si quidem vt D. Gregorius testatur, sola diuitia vera sunt, qua nos virtutibus diuites efficiunt. Si ergo, fratres, diuites esse cupitis, veras diuitias amate; si culmen veri honoris queritis, ad caeleste regnum tendite. Si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Angelorum curia adscribi festinate. Est autem Angelorum curia, regnū Dei, ad quod tenditur per virtutes, hoc est, per regnum, quod Deus habet in nobis. Quod si ergo paupertas ad virtutes viam sternit, efficitur & veras diuitias esse pauperum, & regnum caelorum non solum ad illos pertinere, verum etiam intra illos esse. Quemadmodum ergo diuitia occasio sunt omnium vitiorum, vt supra monstravi, ita paupertas ansam præbet omnium virtutum. E corporis morbo, vt ait Plutarchus, quidam hoc excerpunt commodi, quod vacant negotijs, quibus distinebantur, & quosdam labores obiecti reddidere validos. Sic multis exilium, paupertas, naufragium, adde & bellum, & quidquid infestus secum fert hostis, occasio fuit philosophandi.

Atque in primis constat, sicut otium vitijs aditum aperit, ita labore industriaq; virtutes comparari. Multam enim malitiam docuit otiositas, & cum dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit Ricania in medio tritici, & abiit. Nimirum sicut aqua, ait B. Laurentius Iustinianus, qua caret decursu, ac iacet in fontibus, putrescit, ac humano vsui aliena efficitur, repleturq; animalibus venenatis & noxijs; ita & corpus otij tæbe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam. Quod Valerius hoc exemplo confirmat. Appium Claudium crebrè solitum dicere accepimus: Negotium populo Romano melius, quam otium committi. Non quòd ignoraret, quam iucundus tranquillitatis status esset; sed quòd animaduerteret, praepotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capeffendam excitari; nimia quiete in desidiam resolui. Et sanè negotium nomine horridum, ciuitatis nostra mores in suo statu continuit, blanda appellationis quia plurimis

Idem in cōmun ser. 59.

III.  
Prou. 13. 7.  
S. Gregor. in Euang.

IV.  
Eccli. 33. 29.  
Matth. 13. 25.  
B. Laur. Iustin lib. de perfect. gradib. c. 9.

Valer. Max. lib. 7.